



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

VIII. Quia est Asylum peccatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Scribit *Castrius hist. Deip. cap. 28.* Quod Virgo S. sivè adhuc vivens sivè jam è cœlo Florentinis scripserit Epistolam, in qua illos ad Divinum amorem, aliasque virtutes hortata. Misit & aliam de qua *Alanus Rupensis, & Alb. Renatus apud Odescales Episc. Vigevanensem* in ea Virginem quandam exhortata ad precationem, quam vocat coronæ seu rosarij, ad otij fugam, & solitudinem, paupertatem, aliasque virtutes Religiosas.

Non omitam quod scripsit *Jacobus Card. ut S. Gregor. tract. de Jubileo.* Clericus quidam reprehensus fuit per visum à S. Virgine, quod anno 1300. dum causâ Jubilee Romæ iret ad S. Paulum, iter garriendo confecisset.

8. Quia est Asylum peccatorum.

Quot ista illuminavit cordis oculos, (verbis utor *Meneorum 4. Jan.*) & penitentiae radium immisit, ac tenebris æternum duraturis liberavit, uti veri luminis Portus, & cunctorum Refugium! *Simeon Logotheta* vulgò *Metaphrastes* ad Kal. April. Quanquam gravibus hæreant peccatis affixi, quibus Filium Virginis ad peracerbam provocant iracundiam, utpotè malignis semper cogitationibus implicati, Filium tamen Virginis propitium ijs reddi, qui Virginem tanquam Dei Genitricem ex animo adorant.

Blossius Conclavis cap. 1. narrat. Gertrudi Cælestia contuenti Dei Mater ac Cœli Regina præfens affulsit, pallâ mirabili corpus omne contegente. Quo ipso tempore diversa animalia sunt Gertrudi objecta, & bestiae dissimiles ad Deiparam accurrentes, ac se pallæ illius oblongæ finibus occultantes, quas universas Dei Mater humanissimè acceptas, latitate vestis obvelabat, singulas leviter manu tractabat, & blandè permulcebat, ut heri carulos solent, qui domi nascuntur. Gertrudi admiranti & quid illud esset nescienti declaratum est mutas illas pecudes, & varij generis animantes perditorum hominum, & multipliciter in legem Dei peccantium imaginem quandam exhibere, qui tamen Virginis amantes, ad eam rebus in adversis confugiunt; illam autem adversus animalia rationis expertia charitatem misericordiae symbolum esse, quâ clementissima Mater libidinosi, flagitiosi, facinorosi, se invocantibus opitulatur. Pulchrè hoc ipsum expressit *Ecclesia Græca in Meneis 24. Martij.* Virginem Deus ut dexteram suam omnibus lapsis ad surgendum extendit. Atque hic cum *Psalmista Ps. 86.* canere possumus. *Ecce Alienigenæ Tyrus, & Populus Æthiopum hi fuerunt illi;* pro hi fuerunt illic S. Hier: legit, iste natus est ibi. *Genebrardus,* hic Rex unctus. In utero Virginis Rex Christus unctus: Tyrus verò infames ab usuris, Æthiopes à lascivia, hi fuerunt ibi, scilicet sub Matris Christi pallio; qui statim ait, *Memor ero Regum meretricis, & Babylonis* matris omnium superstitionum, ac Idololatriarum; pridem siquidem hæc Virgini cura commissa pasce hædos tuos.

Ex quo *S. Bernard: hom. 2. super Missus*. Si criminum immanitate turbatus, conscientia fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi iustitiæ, & desperationis abyfso cogita Mariam: in periculis, in angustijs, in rebus dubijs Mariam invoca, non recedat à corde, & ut impetres ejus orationis suffragium nè deferas conversationis exemplum.

Sensum aperuit suum de B. Virgine *Deus Pater coram s. Catharina Senensi dial. c. 4.* Maria est à me velut esca dulcissima collocata, & electa pro capiendis hominibus, & animabus præcipuè peccatorum *Idiota contempl. cap. 18.* Omnia subjecisti sub pedibus Mariæ, oves, & boves, id est simplices, pecora campi, id est luxuriosos vagantes per campos, volucres cæli, id est superbos, pisces maris, id est cupidos. Dixerat verò *cap. 16.* O Misericordissima Virgo Maria, quis potest dignas impendere gratiarum actiones, quia tuâ misericordiâ plena est terra, fons tuæ misericordiæ irrigat aridam nostram, fons tuæ pietatis emittit rivulos suos ad nos peccatores, quibus continuè recreamur, fons tuæ clementiæ refrigerat peccatorum calorem, fons tuæ dulcedinis sitim nostram extinguit, & clamat quotidie misericorditer ad nos: Sitientes venite ad aquas, & bibite cum lætitia.

Itaque cum *Guillem. Parisensi Rhet: cap. 18.* Adibo te, imò etiam conveniam gloriosissima Dei Genitrix, quam Matrem misericordiæ & Reginam pietatis vocat omnis Ecclesia Sanctorum, an poteris denegare peccatoribus interpellationis tuæ gratiam? Tu cujus gratiositas nunquam repulsam patitur, cujus misericordia nulli unquam defuit; cujus benignissima humanitas nullum unquam deprecantem quantumcunque peccatorem despexit.

Et certè (*S. Saba in Menais.*) Ego sum infructifera arbor, nullum salutis fructum afferens, quocirca nè excindar, & in ignem qui extingui non potest miser projiciar, metuo, ut inde ergo me eripias, atque suffragijs tuis fructiferum exhibeas Filio tuo, coram te prosternor. *Innocent. 3. serm. 2. de Assumpt.* Illa dicta est Eva, huic dictum est Ave, quia per hanc mutatum est nomen Evæ in Ave. Ave inquit gratiâ plena, Dominus tecum, quasi diceret, illa fuit plena peccato, sed tu plena gratiâ, illa fuit maledicta in mulieribus, sed tu benedicta in mulieribus. Et sub finem.

Ipsa est ergo *Cant. 6. Aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*, Luna lucet in nocte, aurora in diluculo, sol in die, nox autè est culpa, diluculum pœnitentia, dies gratia. Qui ergo jacet in nocte culpæ, respiciat lunam, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium cor ejus ad compunctionem illustret. Quis enim de nocte invocavit eam, & non est exauditus? ipsa est Mater dilectionis, & sanctæ spei, Qui verò ad diluculum pœnitentiæ surgit, respiciat auro-

auro-

auroram, deprecetur Mariam, ut ipsa cor ejus ad satisfactionem illuminet. Quis enim devotè invocavit eam, & non est exauditus. *Anselm. in hymno 1. Patrona est peccatorum Virgo. Et Tabernaculum juxta Richard. lib. 10. In eo reponas etiam arefactas Virgas; num. 17. germinabunt. Illa est Scala caeli, sub qua si dormiens peccator collocetur, evigilabit ad vitam. Illa est Aqua ad cujus humorem Job 14. lignum mortuum regenerabit. Illa Terra benedicta, in qua insitum frumentum reviviscit cum favore, ut ait Beda in 2. Gen. Illa est Ruth ut vult Bonav. in Spec. quæ à metentibus neglectas colligit spicas. Quia ut *Anselm. lib. de excell. Virg. dicit.* Maria propter peccatores, scilicet propter me, meique similes, facta est Dei Mater, quomodo immanitas peccatorum meorum cogere me poterit ut eorum veniam desperem? quare si ipsa etiam Mater specificè peccatorum, undè in caelo ni fallor non solum Christiferi, sed & Marianitæ dicemur, nec solum in fronte signum Tau, sed & Mariæ circumferemus, utpote præcipuè salvati ab ea, præcipueque sui.*

Ipsa de se loquitur apud *S. Brigittam Revel. lib. 6. cap. 10.* Ego sum Mater misericordiae, & aditus peccatorum ad Deum, nullus enim adeò maledictus est, qui quam diu vivit, careat misericordiâ meâ, quia propter me levius tentatur à dæmonibus, quam aliter tentaretur. *Deus Pater apud Blos. cap. in conclavi fidelis anime* ita loquitur. Mariæ Unigeniti Filij mei Genitrici à bonitate mea concessum est propter incarnati Verbi reverentiam, ut quicumque etiam peccator ad eam cum devota oratione recurrit, nullo modo decipiatur à dæmone infernali.

Hinc *Eutychianus in vita Theophil.* dixit: O Domina mea Defensio generi humani, Portus & Protectio eorum, qui ad te confugiunt, quis unquam hominum rogavit tuam fideliter opem, & fuit unquam derelictus? Reverà nullus unquam. *Albertus Magnus in Bibliis Marian. ad cap. 18. Jerem.* Descende in domum figuli. Domus figuli est Virgo Maria, hæc est domus in qua reformatus fuit miser Theophilus. Sed quis ille? *B. Damian. serm. de Nativit. B. V.* Quid tibi negabitur, cui non est negatum Theophilum de ipsis perditionis faucibus liberare? sed uberius *Bernardus serm. Signum Magnum.* Tu Virgo peccatorem quantumlibet fætidum non horres, non despicias, si ad te suspiraverit, Tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit tu illum à desperationis barathro tua manu retrahis, spei medicamentum aspiras, foves, non despicias quousque horrendo Judici miserum reconcilies. Famofum hujus tuæ benignitatis testimonium est per te Theophilus restauratus gratiæ, qui propter ambitionem Deum abjuraverat, & dæmoni se desponderat.

Quocirca *ibidem Idem.* Quid ad Mariam accedere humana trepidet fragilitas, nihil austerum in ea, nihil terribile, tota patris est omnibus offerens lac, & lacrimam. Evolve diligentius Evangelicæ historie seriem universam, & si quid fortè increpatorium, si quid durum, si quid denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, & accedere vereris. Hunc

Hunc accessum ad Virginem suadet *s. Bonavent. tom. 7. Epistolâ que continet 25. Memorabilia.* Gloriosam Reginam Domini nostri Matrem Benedictam habeas in summo venerationis affectu, & in cunctis ad eam necessitatibus, periculis, & pressuris, tanquam ad Refugium tutissimum te convertas, ipsius tutelæ flagitando præsidium, eamque in tuam suscipiens Advocatam devotissimè, ac securè ei causam tuam committas, quia Mater est misericordiæ. *Ludov. Blos. spec. spirit. cap. 12.* Devotissimam Dei Genitricem Virginem Mariam purè ama, seduloque venerare, & invoca, quæ non solum perfectorum, sed etiam imperfectorum benignissima Consolatrix, atque Advocata est. Hæc enim nullum à se repellit, sed omnibus se præbet exorabilem, peccatores blandè ad se, piè, & humiliter confugientes suscipit, & fovet, protegit, & Filio suo Maternâ fiduciâ reconciliat. Citiùs cælum cum terra peribit, quam illa aliquem seriò se implorantem suâ ope destituat. Gratias age Deo qui illam tibi dedit in Matrem, & Adjutricem.

Cùm ergo constat Mariam omnium ad se confugientium tutissimum esse præsidium, currite ad Mariam Patres, currite Fratres; currite sodales, currite Filii, currite Matres, currite Virgines. Currat omnis ætas, & omnis conditio hominum. *Albertus M. serm. de Nativit. B.V.* M. tum diligenda est B. Virgo à quolibet Christiano, propter hoc quod est inextinguibile lumen ejus, nunquam enim aliquis in tantum peccat, si vult per veram pœnitentiam recurrere ad ipsam, quin ipsa sit statim quasi lucerna pedibus suis, & reducat eum ad viam salutis æternæ.

Quod ampliùs profequitur *Anonymus inter dicta PP. apud Blos. cap. 5.* Nullum tam execrabilem peccatorem orbis habet, quem Maria Virgo abominetur, & à se repellat, quemque dilectissimo Nato suo modò suam precetur opem, non possit, sciat, & velit reconciliare.

Hoc ipsum testatur *s. Agnes apud S. Brigit. Revel. lib. 2. cap. 30.* Sic pia, & misericors fuit Virgo Maria, quòd maluit omnes tribulationes sufferre, quàm quòd animæ non redimerentur; nunc autem conjuncta Filio non obliviscitur innatæ bonitatis suæ, sed ad omnes extendit misericordiam suam, etiam ad pessimos, ut sicut sole illuminantur, & inflammantur cælestia & terrestria, sic ex dilectione Mariæ nullus est qui non per eam, si perierit sentiat pietatem. *Author M. S. in Bibliotheca Vatic. cujus meminit Maraccius in notis in Mariale Leonis Imp. Maria mons signatus, per montem Armenia ubi requievisit arca. Gen. 8.* Quia inundante diluvio peccatorum suis precibus sustentat Ecclesiam, & fidelem animam. Illi accommodat *Rich. à S. Laur. lib. 4. in ex. Eccl. 24.* In fluctibus Maris ambulavi cum familiaribus meis, ut ipsos eriperem à naufragio peccatorum. Illa est ut *Dion. in cant. art. 15.* Mons myrrhæ plurimos à vitiorum putredine præservando. Illa ut *Jacob de Voragine.* Balsamum præservans suos famulos à corruptione culpæ. Ut *Honorius Augustod.* Murus fidelium, quo in-

expugnabiles sunt à vitijs. Illa ut *Albertus M. serm. 2. de Assumpt.* Auxiliatrix fortis fidelium contra dæmones. Illa ut *idem in Bibl. Exod. Velum hyacinthinum Exod. 36.* quo velamur à peccatis. Illa ut *Richard. à S. Laur. lib. 1. Pharos luminosa.* Ut *Bernardinus à Busto serm. 2. de Assumpt.* Sol optimus terræ.

9. Quia Magistra est pænitentium.

In Meneis 23. Febr. S. Theophanes ita orat Virginem nostram. Ut ignis columna præfulgens Virgo, atque lucida nubes, me, qui in hujus vitæ solitudine cum viarum erroribus luctor proficiscentem antecede, usque dum ad cælestem hæreditatem pertingam. Quia ut cum *S. Joseph Confessore ibidem 13. Aprilis dicat quisq.* Per malas cogitationes præcipitem lapsum exorsus, in profundum peccatorum descendi, & proinde ex corde intimo gemens te Dominam meam inclamo, da mihi pænitentia donum cum venia peccatorum, omnes in me palàm obstupefiant abundantis tuæ miserationis exemplum, item viscerum tuorum ad clementiam propendentium sine termino pelagus, thesaurum omni mensura carentem. Nam teste *Richardo à S. Laur. lib. 12. de laud. Virg. Maria est Virga Moysis. Virgâ percussit Moyses aquam fluminis, coram Pharaone, & servis ejus, & versa est aqua in sanguinem. Exod. 7.* Similiter & Maria precibus suis, meritis & exemplis, conversis peccatoribus & maximè dilectoribus suis, quæ citò præterfluunt ut aqua convertit in abominationem & amaritudinem.

Rursus idem lib. 9. ex Gen. 2. Phison circuit terram Hevilath, quod interpretatur vel dolens vel parturiens: Et B. Virgo circuit dolentes, per contritionem ad consolandum eos, maximè parturientes peccata per confessionem. Bonav. spec. cap. 10. Maria est signata per illam *Abigail*, pro qua adducenda cum David nuntios misisset, respondit. *Ecce famula tua sit in ancillam tuam, ut lavet pedes servorum Domini mei.* Per benedictam Ancillam Mariam, quæ tot servi Domini loti sunt, quot fideles ejus suffragijs à peccatis mundati sunt; Ipsa enim tot servorum Domini pedibus aquam obtulit, quot pænitentibus lachrymas compunctionis obtinuit. Obtinuit verò illis etiam qui erant duri ut lapides. *A S. Laur. Richardus lib. 12. de laudibus Virginis.* Hæc Virgo est Virga Moysis per quam fecit signa in Ægypto ut in psalmo quodam dicitur. *Percussit petram & fluxerunt aqua,* per quam absumpsit dracones magorum. *Abbas Absalon serm. 31. hoc ipsum. Virga Moysis per quam fecit signa in Ægypto, Maria est: per eam Deus fecit mirabilia in mundo, & quibus unum de maximis est quod Virga versa in colubrum Dracones Ægyptiorum devoraverit, quia cum de se Christum in similitudinem carnis peccati generavit, omnia crimina, omnes hæreses impiorum, quæ Ægypto hujus mundi illudebant, tu virtute proles, tum exemplo suæ sanctitatis delevit.* Notissima est *historia de S. Maria Ægyptiaca*, hæc ab anno duodecimo ætatis corpus suum publicare